



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quinam sunt effectus Sacramentorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

CAPUT VII.

De Sacramentorum effectibus.

Quæst. I. **Q**UINAM sunt effectus Sacramentorum?

2. Corinth.
cap. 1.

Resp. Duo præcipui: primus est character, quem imprimunt in anima, juxta illud Apostoli: *Vixit nos Deus qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Apostolus characterem designat dum dicit *signavit nos*, sigillum enim hoc habet peculiare, ut signum aliquod imprimat.

ad Ephes. c.
5.

Secundus autem magisque præcipuus Sacramentorum effectus, est gratia sanctificans, quam Sacramenta communicant, juxta illud Apostoli *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Quæst. 2. Quid est character?

Decret. Eug.
IV. in Conc.
Florent. in
Instr. ad Ar-
menos.

Resp. *Character, ut dicitur in Decreto Eugenii, Est spirituale quoddam signum à ceteris distinctivum, anima indelebiter impressum.* Hæc definitio satis explicabitur per responsa sequentibus quæstionibus danda.

Quæst. 3. Quænam Sacramenta imprimunt characterem?

Conc. Trid.
sess. 7. Can.
9. De Sacram.
in genere.

Resp. Definitum est à Concilio Tridentino, tria esse Sacramenta quæ characterem imprimunt. *Si quis dixerit, inquit, in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

S. Boniv. 6.
p. brevilos.

Rationem quam tradit Divus Bonaventura, naturam characteris plenius explicabit; Quo-